SPECIMEN MEDICUM

INAUGURALE,

DE

VARIOLA.

For the Medical Society
of Aberdeen,
with Wishes for its prosperity
from
The Author

SPECIMEN MEDICUM
INAUGURALE
DE
VARIOLA;

QUOD,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,
D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;
NEC NON
Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,
Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

GULIELMUS YOUNG,
SCOTUS.
Soc. Nat. Stud. Edin. Soc. Ext.

Sponte sua quae se tollunt in luminis auras,
——————————— *laeta et fortia surgunt.*
Quippe solo natura subest. Tamen haec quoque si quis
Inserat, aut scrobibus mandet mutata subactis;
Exuerint sylvestrem animum: cultuque frequenti,
In quascunque voces artes haud tarda sequentur.

VIRG. GEORG. *Lib. II.*

Ad diem 24. Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:
Apud BALFOUR et SMELLIE,
Academiae Typographos.

M,DCC,XCV.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

Avunculo ſuo,

CAROLO GORDON,

ARMIGERO

DE BUTHLAW,

et

JOANNI YOUNG,

Fratrum Optimo,

S. P. D.

GULIELMUS YOUNG.

Hocce opuſculum, ut ſpecimen progreſſus, quem in arte Hippocratica fecerim, in vulgus editurus, non diu mecum potui deliberare, quibuſnam, ante omnes alios, id conſecrare deberem. Pupillus, parentibus cariſſimis praemature extinctis, relictus, et tutelae veſtrae commiſſus, nullum aliud inde detrimentum, quam merum ante diem raptorum deſiderium, capere fui permiſſus, veſtra indulgentia, amicitia et favore perpetuis fotus et ſuſtentatus. Nulla eloquentia, ſi haec mihi contigiſſet, nulla verba, quam profundus et inextinctus beneficiorum, quae a vobis utriſque acceperim, ſenſus memoriae inſideat, poſſunt enunciare. Vitam diuturnam, et ab hiſce curis moleſtiiſque, quae multos mortalium, modum in miſerandum, exercent, vacuam agatis, civibus et amicis conſtanter cari et accepti. Valete.

Edinburgi, Idibus Junii, dabam.

ERRATA.

Page 50 line 5 *post* Ille *dele* qui
—— 56 —— 2 —— humorum *adde* ad putredinem

Apropos of diſtempers; the ſmall-pox, ſo fatal, and ſo general amongſt us, is here entirely harmleſs, by the invention of *ingrafting*, which is the term they give it. The children, or young patients, have very rarely above twenty or thirty in their faces, which never mark. Every year thouſands undergo this operation; and the French ambaſſador ſays pleaſantly, that they take the ſmall pox here by way of diverſion, as they take the waters in other countries. There is no example of any one that has died in it; and you may believe I am well ſatisfied of the ſafety of this experiment, ſince *I intend to try it on my dear little ſon.*

LADY M. W. MONTAGUE'S LETTERS.

SPECIMEN MEDICUM INAUGURALE,

DE

VARIOLA.

Auct. G. YOUNG.

PARS PRIMA,

DE INSITIONE VARIOLÆ.

——— culpam compesce, priusquam
Dira per incautum serpant contagia vulgus.

CORPUS humanum tam mirè formatum et constitutum est, ut nihil ei insit, ut verba Ciceronis adhibeamus, inane, nihil sine causa, nihil supervacaneum. Etenim in eo est admirabilis quaedam continuatio seriesque rerum, quarum aliae, ex aliis nexae, et omnes inter se

ita aptae, atque ita conligatae ſunt, ut, in modum ejuſdem Ciceronis, non ſponte non exclamare poſſimus, quae compoſitio membrorum, quae conformatio lineamentorum, quae figura, quae ſpecies, humana poteſt eſſe pulchrior! Quanquam vero corpus tam exquiſitè formatum eſt, et tot tantaque commoda praeterea a natura deducit, quae, quantum ad id attinet, in primis fuit benigna, fragile tamen eſt, caducum, et multis, iiſdemque graviſſimis, morbis obnoxium.

'Morbus adeſt, quum corpus tantum a ſtatu 'ſano deflexerit, ut ſolitae actiones vel prorſus 'impediantur, vel aegre, aut cum dolore, perfi'ciantur*.' Morbi tamen natura ſua plurimum differunt. Alii a labe haereditaria profluunt, id eſt, a parente cum progenie ſua communicantur; alii regionibus certis, potiuſve coelis; alii ſingularibus anni tempeſtatibus circumſcribuntur. Alii rurſus ſunt, quos pauciſſimi effugiunt,

* Greg. Conſpect. Med. Th.

unt, qui vero eos, femel tantum, per totum vitae decurfum, invadunt. Etiamnum alia eorundem cohors eft, qui non tantum unumquemque, fine difcrimine, aggrediuntur, fed eundem etiam compluries, et forfitan ex intervallis brevibus, corripiunt. Quinetiam alios morbos infantibus, adultis et aetate provectioribus; virginibus, praegnantibus, puerperis, &c. proprios effe notare licebit.

Infuper, morbi non tantum a fe invicem difcrepant, fed idem morbus in aliis, vel in eodem homine, diverfis temporibus, alius effe poteft. Ejufdem morbi, in variis mortalibus differentis, vix melius aptiufque exemplum poffumus proferre, quam in *variola*, quae, ut neminem latet, duas formas fibi diverfas affumit. Hoc difcrimen vero, maxima ex parte, abolevit *infitio*.

Cum infitio generi humano tantopere profuerit, non alienum effe videtur, de ortu ejus et

progreffu,

progreſſu, paucis differere. Rerum, apud Britannos, potiente Georgio Primo, legatus Tripolenſis, cui nomen fuit Caſſam Aga, aſſerere non dubitavit, in uſu tamdiu fuiſſe, ut nemo originis primae reminiſci potuerit. Quibuſdam animus inclinat, ut opinentur, in Georgia Circaſſiave primum fuiſſe ortam; et Timoni quidem teſtatur, in uſum practicum, Conſtantinopoli, eam invexiſſe incolas Circaſſiae et Georgiae. Ubi vero variola primum ſeſe oſtenderit, ibi inſitionem, uti ſtragi, quam morbus ederet, occurreretur, in uſum revocatum iri in primis probabile eſt.

De inſitione, circa annum ſalutis humanae 1701, per literas, Conſtantinopoli datas, primum Britanni certiores facti fuerunt. Anno 1713, aliquid amplius ſuper ea accepimus. Ad eam vero incolae noſtrae inſulae animum parum attendiſſe videntur. Anno 1717, mulier generoſa, Maria Wortley Montague, qua nihil magis ſingulare forſitan in ulla regione unquam fuit editum, poſtquam filio ſuo, Conſtantinopoli,

virus

virus variolosum inseruit, historiam operationis successusque ejus prosperi ad Angliam devehendam curavit. Anno 1721 labente, permissu Georgii Primi periculum ejus felix in quibusdam capite damnatis factum est. Hoc exemplum, brevi, complures Nobiles, et, anno 1722, quidam sanguine regio prognati, fuerunt imitati. Ex hoc tempore, apud Britannos, insitio, arte Hippocratica ei praesidente, ortum primum habuisse videtur.

USUS INSITIONIS PRACTICUS.

Quam tutà utilisque sit, rapidus, quem fecerit, progressus abundè clarèque testatur. Igitur, commodis inde profluentibus silentio praeteritis, ea, quae notare decreverimus, *praxi insitionis*, uti vocatur, coercebimus. Haec *aetatem*, *anni tempestatem*, *conditionem corporis*, *curationem antecedentem* et *materiam* comprehendit.

SECT.

Sect. I. Ætas.—Quantum ad aetatem inficiendi attinet, moris communis eſt quorundam pueris, qui pauculos menſes tantum nati ſunt, virus varioloſum inſerere. Nec huic conſuetudini ſucceſſus defuit proſper. Et multa exempla memoriae prodita fuerunt, ubi, licet aetate provectiores fuerint, viro varioloſo imbuti, convaluerunt. Dimſdalius vero clarus opinatur, pueros, qui nondum annum aetatis alterum fuerunt tranſgreſſi, periculo inſitionis non eſſe objiciendos. Si vero praxin Culleni, jure celeberrimi, reſpiciamus, puer, poſt primam dentitionem, aut eam inter et pubertatem, morbo impertiendus eſt.

Praeterea, ſi puer inſitioni, non tantum aetatis habens, ſubjiciatur, non ſolum patet omnibus dentiendi periculis, ſed etiam febribus, diarrhoeis, convulſionibus, et aliis morbis infantiae propriis, qui per ſe ſatis graves depulſuque difficiles ſunt. Et numerum eorum quidem, in infanti tenello augere, et crudele et injuſtum foret.

foret. Infuper pueri, brevi poftquam dentes fuerunt orti, praeceptis parentum obedientiores evadunt, et indoles manifeftior fit, et illis, ut medicamenta neceffaria fumant, facilius poteft perfuaderi. Caufa vero gravior potentiorque haec eft, cur virus variolofum admodum pueris non inferatur, quod plures variola, ut ex hiftoriis mortalitatis conftat, partum inter et annum aetatis quintum, quam quintum inter et pubertatem, extinguuntur

Operationem diutius differre alienum foret, quoniam nonnihil periculi eft, ne morbus modo naturali contrahatur, praefertim in urbibus amplioribus, ubi contagio fere femper fubeft. Et ex hoc tempore et pubertate, ad certam aetatem ufque, corpus plenitudine magis redundat, et, circa pubertatem, certa corporis conditio eft, quae adultos aetate febri concitatiori, et majori inflammationi, opportunos efficiet.

Quantum *aetatem provectiorem* fpectat, homines feniores e morbo convalefcere poffunt, fi tantum virium, quantum vim ejus tolerare poffit,

habeant.

habeant. Caeterum, ſenio accedente, tegumenta corporis ſicca, rigida et tenſa evadunt, et ita eruptionem retardant, vel ſaltem eandem difficiliorem reddunt. Quinetiam cum hoc vitae tempore conjungitur ſingularis debilitas vel languor. Ægrotus, rebus ita ſe habentibus, adeo infirmus eſt, ut quilibet morbus periculum habeat; et circuitus ſanguinis adeo debilis inerſque evadit, ut proclivitas ad gangraenam oriatur, quae frequenter in iis incidere conſuevit, qui vires et vigorem morbis invadentibus accomodatiorem habent. Inſuper, cum aliquis aetatem provectiorem attigit, et contagione nunquam fuit correptus, in primis probabile eſt, eum ab ea conſtanter immunem eſſe manſurum. Hoc in exemplo, talem morbo impertiri, praeſertim ad eum recipiendum tam parum idoneum, omnino alienum foret.

Hiſce commodis incommodiſque conſideratis, puer, me judice, arte infici poteſt, et optimam e morbo emergendi ſpem habere, annum aetatis alterum inter et quartum. Si vero variola epidemicè graſſetur, virus varioloſum, ut in mor-

bum

bum naturalem non incidat, maturius ei inserere conveniet.

SECT. II. TEMPESTAS ANNI.—In tempestate anni seligenda, et calor et frigus immodicum fugiatur, quoniam ille conditionem corporis putridam, hoc inflammatoriam adauget. Ob quam rationem, nec *aestas*, nec *hyems* huic operationi bene conveniet. Æstatem variolam inferendi consilio parum idoneam esse testatur Sydenhamus, omnium medicorum forsitan longè sagacissimus, qui memoriae prodit variolam, tempestatibus siccissimis, vel iis, ubi gramen ubique exustum est, maximam stragem edere. *Autumno*, morbi epidemici maxime invalescunt, et, ea tempestate quoque, humores ad putredinem insigniter proni sunt. 'Autumnus,' inquit observator accuratissimus, 'plenus est periculo-'rum, neque ullum aeque tempus morbis exiti-'osis et pestilentiae patet *.'

* Lommii Observat. Med.

Pauciſſima *veri* objici poſſe videntur, quoniam, illo tempore nec calor aeſtatis, nec frigus hyemis dominatur. Porro a Sydenhamo ſupra poſito fuit notatum, illis annis, quibus variola epidemicè faeviît, correptos, circa vernum aequinoctium, formam morbi mitem plerumque habuiſſe. Et ' ver (quantum in ſe eſt) inter ' caetera anni tempora ſaluberrimum eſt, mini' mèque exitioſis morbis opportunum *.'

Si tamen variola epidemicè ſeſe diffundat, ad inſitionem, qualibet tempeſtate, decurri licet, dummodo ſatis curae agatur, ut aegrotus, per tempeſtatem calidam, ſatis refrigeretur, et, hyeme, non nimis inclementiae temporis anni objiciatur. Quinetiam, cum fuerit notatum, contagium varioloſum, cum ſcarlatina anginoſa conjunctum, plerumque eſſe exitio †, inſitionem eo tempore, quo haec invaleſcit, vitare erit neceſſarium.

SECT.

* Loco ſupra citat.

† Walker on the Small-Pox.

SECT. III. CONDITIO CORPORIS.—Primo intuitu, erit manifestum, aegrotum, tempore insitionis, ab omni alio vitio quam maxime vacare oportere. Summi vero momenti erit novisse, utrum omnis conditio morbida, ut insitione abstineatur, facere debeat, et quinam morbi ei maxime adversentur. Quantum ad illud attinet, Cullenus sequentia notat. 'I am disposed to maintain,' inquit vir ille illustris, 'that, although 'a person be in a diseased state, if that state be 'of uncertain nature and effect, and at the same 'time the small-pox be exceedingly rife, so as 'to render it extremely difficult to guard a'gainst the common infection, it will always 'be safer to give the small-pox by inoculation, 'than to leave the person to take them by the 'common infection.'

Morbi insitioni maxime adversi sunt *febriles* et *inflammationem* habentes. Tempus, quo *menstrua* profunduntur, huic operationi pessima accomodari plerumque fuit existimatum, et Dimsdalius

dalius ait, ſe, cum tempus ſeligere permittitur, virus brevi inſerere, poſtquam evacuatio ceſſavit, ſed opinatur, nullam eſſe rationem, cur operatione, quolibet tempore, abſtineatur. Qui morbis *chronicis*, et quibuſdam aliis, ut *ſcrofula*, *ſcorbuto*, &c. laborat, ille infici poteſt; non tantum quod nonnulli ex hiſce morbis tarde difficulterque depelluntur, et alii eorum ex toto inſanabiles ſunt, ſed etiam quod variolam graviorem efficere non fuerunt notati. Immo, exempla non deſunt, ubi corpora, ſcrofula conflictantia, inſitione peracta, ad conditionem meliorem fuerunt reducta. 'One of my correſ-'pondents writes me,' inquit Monroius venerabilis ſenior, 'that a ſcrofulous boy, whom he 'unwillingly inoculated, at the earneſt ſolicita-'tion of the parents, has had a better conſtitu-'tion, and fewer running ſores, ſince he re-'covered from the artificial ſmall-pox, than he 'had before that diſeaſe.' Fere ſupervacaneum eſſe videtur, commemorare, ſummae imprudentiae

tiae fore quemlibet, ullo virium defectu magno laborantem, contagioni variolosae subjicere.

Auctor nuperus suadet, ut ad insitionem confugiatur, postquam aliquis infectioni naturali fuit objectus. Hoc ei in animum induxisse videtur, quod variola insitiva citius prorumpit, quam naturalis. Unde concludit, infectionem naturalem per insitionem posse praecaveri*. Si hoc votis medicorum respondeat, haud dubie res summi momenti est, quoniam ad omnia, quae ad insitionem excolendam possunt conferre, seriò diligenterque debet attendi. Et periculum fieri potest sine ulla noxae suspicione, quoniam compertum habemus, quantitatem materiae variolosae, per insitionem in corpus invectae, parvulam, viro naturali adjunctam, vim morbi parum nihilve esse intensuram.

Sect. IV. Curatio Antecedens.—Quanquam virus variolosum, nulla praeparatione adhibita,

bita,

* Vid. Transact. Med. and Chirurg.

bita, compluribus fuit inditum, et quanquam nonnulli medici celebres opinari videntur, preparationem, ſine ulla injuria, poſſe omitti, manifeſtum tamen eſt, *cibo animali*, *liquoribus fermentatis*, et omni alio, quod ſtatum morbi inflammatorium vel putridum adaugere periclitatur, abſtinere omnino eſſe neceſſarium; et huic rationi, aliquamdiu ante operationem, debet inſiſti. Si vero aegrotus cibo animali, vel liquoribus ſpirituoſis, multum fuerit aſſuefactus, ratio victus regimine leniori non nimis ſubito, ſed gradatim, mutari debet.

Antequam ad inſitionem decurritur, e plenioribus *ſanguinem elicere* forſitan neceſſarium eſſe reperietur. Vel commoda ſanguinis detractionis a *purgatione* alvi modica poſſunt deduci, qua ratione medicamenta, e mercurio confecta, tantoperè laudata, agere poſita fuerunt. Hae purgationes vero non eouſque provehi debent, ut vires aegroto convellant, ſed ut diatheſin phlogiſticam tantum diminuant. Quaedam conſtitutiones cor-

poreae

poreae relaxatae a dosi una alterave *corticis Peruviani*, singulis diebus adhibiti, multum commodi acceperunt. Denique, optima praeparationis regula, quae tradi potest, est debilitatos quam proxime ad statum sanitatis usitatum reducere, et non eos, qui eum excedunt, nimis infirmare.

Neminem potest fugere, quantum ad valetudinem commodam conferat tranquillitas animi absoluta.

Attenuant vigiles corpus miserabile curae,
Adducitque cutem macies; et in aëra succus
Corporis omnis abit, vox tantum atque ossa supersunt.

Spes igitur aegrotatis de effectibus insitionis salubribus, et de felicissimè convalescendo e morbo, omni ratione confirmanda est; praesertim si eventum ejus reformidare videatur. Universi animi affectus, qui eum contristant, intemperantia, vigilia et similia, quoniam corpus debilitant, cautè diligenterque vitanda.

SECT.

PARS SECUNDA,

DE VARIOLA.

Heu pietas! heu prisca fides! invictaque bello
Dextera! non illi quisquam se impune tulisset.

HIC morbus nec Graecis, nec Romanis, fuit cognitus; saltem nulla ejus mentio fit in scriptis eorum. 'Neque in controversiam 'venire debet,' inquit vir clarus Friendius, 'quin variola Graecis fuit incognita.'—'Antiquissimus, quem aliquid de variolis memoriae 'prodidisse constat, a Rhaze saepius laudatus, 'Aaron Sacerdos, Alexandriae natus, qui, Mahumede imperante, A. D. 622, sive circa Hegirae initia, triginta de re medica libros com-'posuit, in quibus signa variolarum tradidit *.'
Brussius peregrinabundus, tempus, quo primum in Arabia apparuerit, A. D. 522 circumscribit,

* Friend. Op. Omn. Med.

bit, et ponit exercitum Abyssiniae, inter Beccam obsidendam, quae nunc Mecca appellatur, primum gravitati ejus succubuisse. Eruditissimus vero Friendius opinari videtur, Arabes hunc morbum ab oriente derivasse. 'Arabes, sine dubio,' inquit ille, 'morbum in Ægyptum e sua gente advexerint, quem ipsi fortassé antea a remotioribus orientis gentibus suscepissent.' Quo hoc magis probabile reddat, adjecit: 'Horum enim antiquissimi scriptores de eo non ita loquuntur, quasi recenter orto.' Hoc ulterius confirmat testimonium Holvellii, qui aliquamdiu in India mansit; namque notat, hunc morbum tempore, quo scripta nationis, quae Gentoos appellatur, in vulgus edita fuerunt, quod ante annos 3366, si fides Brachmanibus habenda est, incidit, aliquantum spatii habuisse oportere, quoniam in iis forma cultûs divini Deae Macularum, tempestate variolae durante, instituitur.

Postea una cum armis Mahumedis per Ægyptum, Syriam, Palaestinam, Persiam et mul-

tas

Sect. V. Materia.—Vix ulla delectus materiae, vel quantitatis in corpus invectae, ratio habenda est; namque notissimum est, quantitatem exiguam morbum esse moturam, immo effluvia cujuslibet, eo laborantis, ad morbum diffundendum sola sufficere; et quantitatem largam, in corpus introductam, nullam omnino morbi mutationem facere fuisse notatam. Insuper, eadem materia variolosa in uno variolam distinctam, in alio confluentem, progenerat. Adeo ut lenitas vel violentia signorum non tantum a materia, quae morbum facit, quantum ab aliis, pendere videatur.

Porro nihil notius est, quam pus variolosum, in aliquantum temporis asservatum, efficaciam non amittere, ut e modo id inferendi constat, cum consuetudo felicissima primum in Britanniam emigraverit. Praestabit tamen pus recens adhibere, quod, in spatium temporis diuturnius conservatum, effectus suos tardius edit. E variola insitiva, vel naturali, desumi potest. Et Dimsdale,

dale, praxi variolam inferendi longè latèque nobilitatus, fummam vim efficaciamque habere putat, fi e corpore, per ftadium eruptionis, eximatur.

Hodie propemodum certum eft, materiem variolofam non ullos e morbis aegrotantis, unde fuerit fumpta, cum infecto communicare. Si hoc incidere fufpicareris, a morbis contagiofis potiffimum proficifceretur. Sed res etiam non ita fefe habere reperitur; nam pus variolofum, e puero, variola naturali laborante, fumptum, qui, eodem tempore, tuffi convulfiva infeftabatur, aliûs pueri inficiendi fuit adhibitum, qui variolam inde contraxit, fed a pertuffi ex toto vacavit *.

* Monro on Inoculation.

tas alias regiones, ubi antea incognita fuit, ſe diffudit. 'Cum Saracenis primum morbus hic, 'in Europa, apparuit, et quaſcunque illi regi'ones armis occupaverunt, ibidem pare furore 'ſtatim graſſatus eſt *.' Per regiones Europae diverſas ab iis, qui a bellis, contra Saracenos, patriae natalis ſalvatoris generis humani recuperandae, geſtis, redierunt, propagata eſſe, et apud incolas Angliae, centuria annorum decima tertia labente, bene nota fuiſſe videtur.

Cum morbus complures eodem tempore invadit, et ſigna ſimilia habet, ſed non ſemper eodem in loco ſubeſt, in tempus ceſſans, ut poſtea redeat, *epidemicus* vocatur. Variola pro morbo hujuſce generis ritè habetur; quanquam interdum pauca exempla *ſporadica* ſemet oſtendunt. Plerumque apparet, ſub forma epidemici, circa aequinoctium vernum; per aeſtatem et autumnum increſcit; et, hyeme appetente, ceſſat.

* Friend. Op. Omn. Med.

DEFINITIO.—Synocha contagiosa cum vomitu, et, ex epigastrio presso, dolore.—Tertio die incipit, et quinto finitur eruptio papularum phlegmonodearum, quae, spatio octo dierum, in suppurationem, et in crustas demum abeunt, saepe cicatrices depressas, sive foveolas, in cute relinquentes.

A diversis auctoribus diversè fuit divisa variola. Sed omnes hae varietates sub duabus speciebus, *distincta* et *confluente*, possunt comprehendi.

SIGNA.

I. SPECIES DISTINCTA hoc modo finitur: Variola pustulis paucis, discretis, circumscriptione circularibus, turgidis; febre, eruptione facta, protinus cessante. Per paucos dies, antequam pustulae erumpunt, aegrotus impiger somnolentusque

tusque esse videtur ; languore et lassitudine afficitur ; appetentia cibi languescit ; sed potionem praeter consuetudinem appetit. Haec excipiunt paroxysmi caloris et frigoris alterni ; dolor capitis, dorsi, lumborum et regionis epigastricae, si haec manu prematur ; nausea et vomitio, quae saepe, pressura adhibita, renovatur. Adulti, si lecto contineantur, ad sudorem, et pueri ad frequentes subsultus, inter dormiendum, proni sunt ; caeterum in his Sydenhamus nunquam ullam ad sudandum, vel ante, vel post eruptionem, proclivitatem notavit. Pleraque signorum manent, donec tempus eruptionis appropinquat, cum graviora evadunt, aliquando vigilia et anxietate stipata. Et in pueris, per spatium temporis brevius, antequam pustulae erumpunt, convulsiones frequenter invadunt.

Tertio, vel, secundum Sydenhamum, quarto inclusivè ab invasione die, nonnunquam serius, raro tamen ante illum, pustulae apparent. Primum

mum erumpunt in facie, brevi poſtea in collo, pectore et brachiis, et denique, in artubus inferioribus. Febris, poſt eruptionem, decreſcere pergit, et quinto die omnino ceſſat; quo tempore quoque, eruptio plerumque abſolvitur.

Puſtulae, cum primum apparent, ſunt admodum parvae, diſtinctae et a ſe invicem ſeparatae; colore rubrae, nonnihil morſus pulicum referentes. Brevi vero eminentiores evadunt; et tactae, firmae et acuminatae eſſe reperiuntur. Deinde plus formae conicae ſibi adipiſcuntur; et ampliores in artubus extremis, quam in facie, eſſe notantur.

Puſtulae colorem rubrum, in aliquot dies, poſt eruptionem retinent; deinde, circa ſextum diem, exigua veſicula in apice uniuſcujuſque earum apparet. Radices rubriores fiunt, et, ſi puſtulae ſint numeroſae, hicce rubor ad cutem vicinam patet, et ruborem ejus damaſcenum univerſum facit.

Si puſtulae faciei ſint numeroſae, fauces dolere

lere incipiunt, raucedine vocis ſtipatae; et, in quibuſdam caſibus, tonſillae non parum tumeſcunt. Eodem tempore, liquor tenuis ex ore effunditur, qui, craſſior evadens, aegriùs expuitur. Una cum hoc ſigno nonnihil moleſtiae devorandi incidit, adeo ut humores ſumpti per nares frequenter rejiciantur.

Veſiculae apicum puſtularum humorem albidi coloris continent; latitudine, in biduum, increſcunt; et depreſſione tum in medio exigua inſigniuntur.

Cum facies puſtulis multum obtegitur, non modicè tumet. Tumor, ante quintum diem, nunquam apparet, et plerumque, non in aliquantum temporis poſtea; caeterum frequenter plurimum adaugetur, et palpebrae adeo diſtenduntur et tumefiunt, ut aegrotus viſu privetur.

Prout morbus progreditur, materia puſtularum magis albida magiſque opaca fit. Hic albor citò longiùs latiùſque ſe ſpargit, donec, ad extremum,

tremum, puſtulae ex toto plenae videantur. Materia deinde plus coloris flavi ſibi aſſumit.

Die undecimo, puſtulae plenam maturitatem attigerunt, et piſum magnitudine aut circiter adaequant. Hoc tempore, rubor tumorque faciei ſubſidunt; ſed tumor manus pedeſque occupat, qui quoque ſubſidit, prout puſtulae harum partium propiùs ad maturitatem accedunt.

Brevi poſt hoc papulae rumpuntur, et pus, quod complectuntur, effundunt, quod ſuper cutem labens, et areſcens, cruſtas format. Nonnunquam portio exigua tantum materiae effluit, et, quae in puſtulis reſtat, ea craſſa, et etiam dura, fit. Aliquando pus non effunditur, ſed abſorbetur, adeo ut puſtulae ſpeciem inanium veſicularum prae ſeſe ferant.

Circa diem decimum quartum, et cruſtae et puſtulae induratae decidunt, et partem, iis ſubjacentem, coloris ſubfuſci relinquunt. Nonnunquam, cum materia puſtularum magis liquida fuit, et cruſtae ſeriùs deciderunt, has ſubſe-

quuntur ſquamae furfuraceae, quarum meſſes reiteratae aliquando, quamvis rariùs, foveolas progenerant.

Papulae faciei primum ad ſuppurationem perveniunt, et decidunt; et deinde, ordine ſuo, aliis corporis partibus propriae, pro tempore, quo apparuerunt.

Quae febris, inter initia, variolam diſtinctam comitatur, ea inflammationem habet, vel Synocha eſt; et una cum ea conjunguntur magnus cutis calor, et ictus arteriarum pleni, duri, validi. Lingua plerumque muco craſſiore obducitur, et ſicca eſt; urina coloratior; et, per totum morbi decurſum, aegrotus vel duritie alvi laborat, vel rariùs tantum dejicit. Nonnulli memoriae prodiderunt, frigus extremorum corporis hunc morbum, praeſertim in pueris, ab ortu primo uſque, comitare.

II. Species Confluens.—Haec ita definitur. Variola puſtulis numeroſis, confluentibus, circumſcriptione

ſcriptione irregularibus, flaccidis, parum elevatis; febre poſt eruptionem perſtante. In variola confluente decurſus morbi fere idem eſt, ac diſtinctae proprius; ſed ſigna ſunt violentiora, et febris, eruptione peracta, manet, parum nihilve diminuta.

Per primos morbi dies, accedunt vomitio, delirium et coma. Et in hac ſpecie quoque convulſiones pueros infeſtant, ſed maturius, quam in diſtincta, ſe in conſpectum dant, numero majores ſunt, et protractiores. Nihilominus non ita promptè in ſudores diſſolvitur aeger, ſed diarrhoea nonnunquam eruptionem praecedit, et, in unum alterumve diem, poſt eandem, manet. Hoc, in altera ſpecie, a Sydenhamo non fuit notatum.

Eruptio, ſecundo die, ex quo febris apparuit, ſaepe incidit: ‘ Fit tamen, licet oppido raro, ‘ ut ob atrocius aliquod ſymptoma, ad quartum ‘ vel quintum uſque diem differatur; verbi ‘ gratia, acutiſſimus dolor, nunc in regione

‘ lumborum,

'lumborum, paroxyſmi nephritici aemulus ;
'nunc in latere, qualis pleuriticos vexat ; nunc
'in artubus, ut in rheumatiſmo ; nunc denique
'in ventriculo, cum ingenti aegritudine, et vo-
'mitu enormi, ante eruptionem aegrum fatigat,
'angitque *.'

Puſtulae aliquando, in morem rubeolae, aliàs in morem eryſipelatis, erumpunt ; et ſunt ſemper numeroſiſſimae ; ſub initium vero plerumque disjunguntur, ſpatio tamen brevi coaleſcunt, ita racemos formantes, faciem quaſi rubra pellicula tegentes ; et, ut multo citiùs, quam in diſtincta, tumeat, facientes.

Quanquam febris et alia ſigna, nonnihil imminuuntur, eruptione puſtularum ad finem perducta, febris tamen nunquam ex toto evaneſcit. Poſtea, cum violentia non modica, renovatur ; et huic nomen *febris ſecundariae* medici indiderunt.

Veſiculae albae ſemet citiùs, in variola con- fluente,

* Sydenham. Op. Univers.

fluente, quam in diſtincta oſtendunt; ſed in illa papulae non elevantur et replentur, deprimuntur vero; et tantum abſunt, ut circulares ſint, ut nonnunquam ovalem aut angularem ſpeciem prae ſeſe ferant. Omni quidem ratione, figura irregulares ſunt, depreſſae, et ſibi invicem implicatae; et pelliculam albidam faciei adhaerentem repreſentant.

Materia, quam pustulae complectuntur, eſt coloris pallido-albidi, admodum tenuis, et interdum aquoſa. Non colorem flavum ſibi aſſumit, ſed fuſca, potiuſque ſubnigra evadit. Quinetiam papulae aliquid ichoroſum, vel ſanguinolentum, ſaepe continent. Quae cruſtae effuſione materiae formantur, eae ſeriùs, quam in diſtincta decidunt. Raro aliquid aſperum poſt ſeſe relinquunt, ſed eas excipiunt ſquamae, quae fere conſtanter foveolas faciunt, et aliquando etiam faciem cavis cicatricibus deformant.

Puſtulae in facie magis exiguae magiſque confluentes

fluentes ſunt, quam in aliis corporis partibus. Sunt modo admodum numeroſae in faucibus, raucedine, difficultate deglutiendi, et etiam periculo ſuffocationis comitatae. Nunquam baſi inflammata circumdantur, pro qua intervalla puſtularum ſunt pallida et flaccida.

Aliud ſignum eſt, quo variola confluens ſaepiſſime, ſed diſtincta nonnunquam tantum, ſtipatur, ſalivae nempe excretio copioſa. Haec interdum incipit, cum eruptio primum apparet, aliàs non donec dies unus alterve poſt eam elapſus eſt. Quae ſaliva effunditur, ea eſt tenuis et expectoratu facilis ad diem undecimum uſque, cum magis viſcida evadit, et tunc plurimum moleſtiae aegrotanti faceſſit. In pueris, pro excretione ſalivae modo poſita, diarrhoea invadit, quae, niſi ei arte occurratur, ad finem morbi uſque infeſtat.

Praeter haec ſunt varia anomola ſigna, quälia ſunt urina ſanguine tincta; et aliae ſanguinis profuſiones; interdum maculae exiguae nigrae

in

in apice puſtularum apparent; et veſiculae ſeroſae, ſubter quas cutis proclivitatem ad gangraenam oſtendit; quinetiam non raro, praeſertim in junioribus, urina ſupprimitur; et petechiae, in intervallis puſtularum flaccidis, ſaepe oriuntur; faetore, morbo proprio, eas comitante.

Cum morbus exitio eſt, nobis horrorem ſaepe incutiunt ſigna formidulosa. Tumor faciei momento ſubſidit; fluxus ſalivae ſubitò ceſſat; puſtulae flaccidae fiunt, et intervalla pallida, livida, vel colore cinerea; rigor accedit; et febris hunc excipit, cum magna ſpirandi difficultate, animi deliquio et nauſea; anxietate perpetua; tremoribus; ſubſultibus tendinum; delirio; et mors tandem miſeriarum aegrotantis finem facit.

PROG-

PROGNOSIS.

Si ſigna attente conſiderentur, utrum morbus ſpeciei diſtinctae vel confluentis ſit, facile ſtatuere valebimus, et ab eo, magna ex parte, pendebit prognoſis. Attendenda vero quoque ſunt tempeſtas, et conſtitutio anni epidemica; et aetas habituſque aegrotantis corporeus: 'Cum 'viris exercitatis, robuſtis, et ſenibus pejores 'ſunt variolae; et, e contra, in puerulis, mu- 'lieribus, laxis et imbecillibus plerumque exi- 'tus ſunt feliciores *.' Et hoc pro regula univerſa habendum eſt, morbum, quo plus ſpeciei diſtinctae habeat, eſſe tutiorem; et eo plus periculi, pro rata ratione, prout puſtulae magis confluunt, habere.

Vix quidem mitior morbus eſt, quam variola diſtincta; et tantum periculo ſtipatur, cum puſtulae

* Winteringh. Comment. Noſologic.

pustulae numerosae faciem obsident. Eventum morbi faustum fore portendere possumus, cum pauci paroxysmi convulsivi leniores, protinus ante eruptionem, invadunt; cum febris eruptionis est mitis; et, pustulis erumpentibus, cessat; cum hae sunt amplae; materia crassa flava bene repletae; prominentes; et margine inflammato circumdatae; et cum facies, manus pedesque ritè tumescunt. Fluxus salivae modicus in adultis, et diarrhoea in pueris, faustis signis annumerantur. Notatum fuit, plerosque eorum, qui distincta variola rapiuntur, die octavo perire.

Confluens variola vero plus minusve periculi semper habet, quod a numero et gravitate signorum, praesertim ab iis, quae proclivitatem ad putredinem ostendunt, pendet. Finem morbi malum fore plerumque praesagiamus, cum febris eruptionis violenta est; cum typhus est; cum pulsus arteriarum frequentes et exiles; et

aegrotus admodum infirmus. In eandem ſententiam concedunt medici, cum coma vel delirium citò apparet; cum dolor ventriculi gravior eſt, et nauſea vomituque ſtipatur; cum dyſpnoea ſubeſt; et dolor pectoris laterisve cum tuſſi; et intenſa vel magna faucium inflammatio.

Exitium aegrotanti minatur ferè certum, ſi puſtulae maturè erumpant; et admodum numeroſae ſint, praeſertim in facie; magnitudine abnormes; et exiguae; materia ichoroſa, vel ſubnigra completae; ſi, poſt eruptionem abſolutam, non ritè repleantur; nec aeque rotundae et acuminatae, ac debent, maneant, ſed, contra, ſubſidant, et ſeſe ſpargant; vel maculam nigram in medio habeant; vel, poſtquam apparuerunt, admodum ſubito recedant; ſi, pro margine inflammato circa baſes, intervalla maculis lividis, vel colore purpureo, cooperiantur; ſi ſanguis e partibus corporis diverſis profundatur; vel urina ſupprimatur; vel, ſi nec facies, nec

extrema

extrema intumescant; vel tumores, ante tempus idoneum et consuetum, evanescant.

Dies undecimus est maximè periculosus, in specie confluente; namque, eo tempore, saliva adeo viscida evadit, ut, non sine difficultate, excernatur; et aègrotum suffocare periclitetur. Circa hoc tempus quoque, febris, quae tantum remiserat, violentiùs redit. Cum signa putredinis non concitatiora sunt, eventus saepe ad diem decimum quartum, et nonnunquam ad decimum septimum, vel vigesimum, differtur. Quinetiam aegrotus quoque convulsionibus prius consumitur, quam ulla eruptio se ostendit.

DIAGNOSIS.

Variola, sub initium, speciem aliarum febrium induit, ab his vero satis accuràte dignoscetur, si compertum habeamus, quinam morbi epidemici, eo tempore, invalescunt; vel si certiores

tiores fiamus, aegrotum contagioni fuisse objectum, et hoc morbo non antea laborasse; vel, spatio brevissimo, omnem dubitationem certiùs tollent pustulae apparentes. Caeterum, aliquando periclitatur habere pro aliquo exanthematum, praesertim varicella, rubeola, et erysipelate.

E similitudine, quam *varicella* cum variola habet, aliquando fuit deductum, hominem in hanc, saepiùs semel per decursum vitae, incidere posse. In varicella febris levior est, et spatium durationis minus certum, quam in variola, habet. Pustulae raro ad suppurationem pergunt, vel, si res aliter sese habet, citiùs suppurantur, et citiùs igitur quoque in crustas formantur. Materia, in pustulis formata, nunquam eundem colorem vel spissitudinem, quae in pustulis variolae reperitur, sibi acquirit.

In *rubeola*, pustulae in papulas oculo manifes-

tas

tas non elevantur, et, digito applicato, vix eminere ſentiuntur. In rubeola, eruptio multò citius evaneſcit, et eam ſubſequitur farinacea deſquamatio. Inſuper, rubeola ſtipatur ſternutatione, epiphora, et tuſſi frequente, rauca, ſicca; et febris, per totum morbi decurſum, perſtat.

In *eryſipelate*, rubor, potius quam puſtulae, in aliqua faciei parte apparet, qui preſſione evaneſcit, vel ſaltem flaveſcit. Hic rubor, ſub initio, nullum magnum ſpatium occupat; ſed ad alias partes faciei gradatim vagatur, dum in iis, quas ante tenuerat, decreſcit.

CAUSÆ.

Experientia quotidiana docet mortales, contagionem varioloſam, corpori admotam, ad hunc morbum progenerandum, eſſe neceſſariam. Et hodie apud omnes plerumque convenit, variolam

lam non ullam aliam *causam excitantem*, praeter contagionem, habere; et multa argumenta hujus opinionis ſtabiliendae poſſunt proferri.

Hic morbus nunquam in ulla regione ſemet oſtendit, quin omnem ejus ortum, ad contagionem varioloſam manifeſtè invectam, proſequi poſſemus. In exemplo hujuſcemodi, non, ut ultra patriam noſtram progrediamur, neceſſe eſt. Namque nunquam accepimus, variolam in Britannos invaſiſſe, ante tempus, quo contagionem èo invectam fuiſſe novimus. Graeci, Romani aliaeque nationes, quae hoc morbo vacabant, aliis cauſis, quae eam progenerare dictae fuerunt, objiciebantur, eo tamen nunquam infeſtabantur; hoc certè hinc pendet, quod contagio nunquam in eos immigravit.

Infectionem effugere poſſumus, ſi noſmet ab aëre polluto remotiores vitam conſultò agamus; morbum tamen per inſitionem, ubi quantitas viri varioloſi exigua in ſyſtema corporeum introducitur, excitare valemus, quod eam vim

contagioſam

contagiosam veram habere demonstrat. Insuper, neminem fugit, pus variolosum, in spatium temporis diuturnum, efficaciam retinere; hinc ad civitates amplas et florentissimas per advenas adduci potest, ubi non tantum propagari, sed inde ad alia loca per homines, ea petentes, devehi potest. Alia contagia ad loca longè remota, sub forma fomitis, asportari reperimus; et igitur non irrationale est ponere, contagionem variolosam eodem modo avehi posse. Et veritatem hujus multi fuerunt experti. Multa alia argumenta, si ad hanc opinionem suffulciendam necessaria forent, possent in medium proferri.

Neutiquam tamen hinc concludere volumus, morbum, inter initia, a contagione fuisse profectum; namque asserere primum mortalem, qui variola laboraverit, eum hoc modo accepisse, rationi contrarium foret; sed tantum ostendere, contagionem, per se solam, ad morbum faciendum sufficere; et alias causas, quales sunt me-

tus; affectus animi violentiores ſubito excitati *; quicquid inflammationem graviorem facere poteſt †; &c. nullo fundamento certo ſtabilique inniti. Quantum enim primam hujuſce morbi originem ſpectat, ea omnes mortalium inveſtigationes effugit, et res quidem nullius ferè momenti eſt. Cum vero novos morbos a cauſis externis manifeſtis ortum deducere, et poſtea contagione propagari, reperiamus; ex analogia concludere licet, hunc morbum, per aliquam aliam cauſam, quam contagionem, progigni potuiſſe, et revera progenitum fuiſſe. Ita, ſi fidem auctori illuſtri habeamus, reperiemus morbum, non minus formiduloſum quam variola olim fuit, ab exhalationibus putridis, quas aliquantum coffeae vitiatae, &c. emiſerat, proveniſſe, et ſemet per ſua effluvia contagioſa diffudiſſe ‡. Caeterum, quo non humana divinis intermiſceamus,

* Bromfield on Inoculation.

† Thompſon on the Small-Pox.

‡ Ruſh on the Yellow Fever.

miſceamus, tutò conludere licet, unicam cauſam excitantem hodie eſſe contagium.

Natura hujuſce *contagii* ſumma obſcuritate involuta eſt; ſed admodum ſingulare eſſe, et, ſummo jure, nomen ſpecifici mereri videtur. Compertum habemus, eundem hominem, ſemel tantum per totum vitae decurſum, afficere; et Meadius, medicus illuſtris, caſum pueri, in utero ope matris, dum maritum hoc morbo laborantem curabat, affecti mirabilem, poſteris prodidit; et mater quidem de variolis nihil contraxit; foetus vero mortuus, totoque corpore, mirum viſu! puſtulis foedatus, ſe, nondum in luminis oras egreſſum, lue hac conſumptum fuiſſe, manifeſtè comprobavit. Ita matrem morbum effugere comperimus, quanquam corpus ejus vehiculum praebebat, per quod contagio cum puero communicabatur. Et quidam habitus corporei ſingulares ſunt, qui per contagionem affici non poſſe videntur. Inſuper alii ſunt,

qui contagioni resistunt, quamvis in centro ejus, si ita loqui liceat, vivunt; et postea tamen afficientur, dum nemo ullam mutationem singularem, quae in corporibus eorum inciderit, percipere potest. Eadem contagio quoque, vel variolam distinctam vel confluentem, ut supra fuit positum, propagare potest. Sunt quidem tam multa phaenomena, quae hanc contagionem singularem comitantur, et tanta obscuritate implicantur, ut id, quod eruditus Doctor Friend de argumento diverso protulerit, dicere possimus: 'Sunt in hac re multa perobscura et recondita, 'multa impedita et subtilia, quae nullis prae'ceptis perfectè edoceri, nulla explicatione ple'nè cumulatèque tradi possunt.'

In exemplo multorum morborum, necessarium est, ut corpus conditionem idoneam, vel *proclivitatem* ad eos, habeat, antequam noxa vel causa excitans, ullum in id effectum edere potest. Utrum vero res in variola ita sese habeat,

vel

vel in quonam ſeminium conſiſtat, dubium eſt. Complures corporis conditiones mortales, ad hunc morbum proclives, reddere fuerunt exiſtimatae.

Pueros hoc morbo frequentiùs, quam adultos affici, haud dubiè verum eſt; ſed hoc aliter, quam per ſeminium, poteſt exponi. Etenim, cùm hic morbus hominem tantum ſemel corripiat, et cum nemo adverſus eum tutus ſit; quum epidemicè graſſatur, unuſquiſque, non eo antea affectus, vim ejus ſentiet, contagioni objectus. Et cum ſaepiſſimè epidemicè ſaeviat, pueri, qui ab eo immunes hucuſque vixerunt, acceſſioni ejus maxime patebunt, et ita reditui ejus, cum aetatem adultam attigerunt, occurretur.

Alii pro ſeminio habuerunt, quodcunque corpus debilitat. Cauſas, quae vires corpori convellunt, aliquantum ad certam morbo naturam conciliandam poſſe conferre, nemo negabit; neceſſarium vero non eſſe videtur, ut corpus prius debilitetur, quam contagium varioloſum in id

agere

agere poteſt; nam variola in hominibus, nulla ex parte debilitatis, fuit excitata. ‘ Nec quiſ-
‘ quam hominum,’ inquit auctor Conſpectus Medicinae Theoreticae illuſtris, ‘ tam firmam
‘ valetudinem, tantumque corporis robur habet,
‘ quin, cauſis quibuſdam excitantibus admotis,
‘ in graviſſimos morbos incidat. Variola ſemel,
‘ lues venerea ſaepe etiam firmiſſimos inficiunt.’

Cum variola hominem tantum ſemel, vita durante, invadat, conſtitutionem corpoream hoc morbo nunquam antea affectam, pro ſeminio ex parte, ſed non ex toto, habere poſſumus; quoniam alii variolam protinus effugerunt, et alii, certo tempore, contagioni impune fuerunt objecti, qui tamen poſtea morbo fuerunt correpti. Hinc apparet, medicos eam corporis conditionem, quae mortales ad variolam pronos reddit, nondum perſpectam habere.

Contagio varioloſa ſyſtema corporeum ingredi poteſt, per vaſa pulmonum abſorbentia, mem-

branae

branae oris nariumque internae, vel una cum ſaliva, in ventriculum devehi poteſt. Tales poteſtates in corpus exercet, ut brevi, poſtquam eo recepta ſit, febrem et alia ſigna excitet. Deinde màteria formatur, et in ſuperficie corporis, ſub forma puſtularum, apparet. Hae decurſum ſuum habent, et, in morem aliorum phlegmonum, ad ſuppurationem perveniunt. Poſtea exſiccantur, et in cruſtas abeunt, quae, tempore certo, decidunt; et corpus, brevi temporis ſpatio, priori conditioni reſtituitur.

Rhazes poſuit contagionem, in modum fermenti, in ſanguinem agere, quale in muſto fieri ſolet, eumque ſerius aut citius materiam peccantem, per cutis glandulas, ejiciendo, ſeſe purificare. Theoria Culleni hanc, magna ex parte, referebat. Sed vir clarus Van Swieten opinatur, contagium variolarum non aſſimilare ſibi tantum certas quaſdam humorum moleculas, ſed omnia fluida et ſolida corporis poſſe corrumpere. Utra ex hiſce opinionibus ſit maxime probabilis,

lis, ſtatuere non conabor; namque

Non noſtrum inter vos tantas componere lites.

Sed contagionem varioloſam poteſtatem aliquas partes corporis, quo recipitur, in ſuam naturam mutandi habere, hinc inferre forſitan licebit, quod exigua quantitas, ingeſta, tam multiplex redditur, ut nonnunquam corpus totum obtegat, quaſi una puſtula, materiae plena, cujus quantitas parvula morbum cum alio, ſua vice, poteſt communicare.

RATIO MEDENDI.

Variola diſcreta quidem tam mitis morbus eſt, ut vix ulla remedia opus ſint. Febri eruptionis optimè occurret regimen antiphlogiſticum, ſtrictè adhibitum; quod, in omnibus irritamentis, ſed potiſſimum calore, vitandis conſiſtat. *Frigus* eſt remedium, quod praecipue ad violentiam febris eruptionis compeſcendam accomodatur;

datur; et ita, ut morbus ſpeciei diſtinctae oriatur, facit. Ad tantum gradum uſque applicari poteſt, quantum aegrotus ſine incommodo tolerare valet. Haec ratio medendi, quam, magna ex parte, Sydenhamo debemus, hodie a pleriſque Europae medicis adhibetur, et cum ſucceſſu tam proſpero, ut de ejus efficacia nequeat dubitari.

Morbus vero ſummam attentionem poſtulabit, cum, ab infectione proficiſcitur, vel, poſt inſitionem, violentus et confluens evadit. Hic, applicatio frigoris diligentiſſima potiſſimum exigitur. Licet vero hoc remedium praecipuum ſit, non ei ex toto confidere debemus. Alia remedia ſunt neceſſaria.

I. *EMETICA.*—Nauſeam et vomitionem promovere poſſunt leniora emetica; et conamina quidem evomendi utilitatem eorum demonſtrare videntur. Quinetiam ventriculum et bronchias

a

a muco viſcido repurgando proficiunt. Cutem relaxando, et ſpaſmum tollendo eruptioni puſtularum viam ſternunt; namque fuit notatum, vomitionem utilem fuiſſe, cum modo abnormi, ſub tempus conſuetum, erumpunt, et in cute, cum parvo nullove tumore, et minore colore, quaſi ſepultae jacent *. Inteſtina ſtercore indurato liberando ſaepe agunt, et ita ſummam irritationem corpori demunt.

Cum vero vomitus magnum humorum impetum ad caput faciat, conveniet, in corporibus plenioribus, ſanguinis detractionem ante adhibere. Et in exemplis inflammationis ventriculi, quae nonnunquam ſubeſſe videtur, irritatio, inde oriunda, noxae eſſe poteſt.

II. *SANGUINIS DETRACTIO.*—Si ſigna inflammationis concitatiora ſint, vel ſi aegrotus plenior ſit, et ictus arteriarum plenos duroſve habeat, ad detractionem ſanguinis confugiatur. Quinetiam

* Huxham on Fevers.

Quinetiam, fuit reperta levare dolorem capitis et lumborum, qui plerumque hunc morbum comitatur; compescere anxietatem et oppressionem pectoris, et ita facere, ut signa, quae subsequuntur, leniora evadant *.

Quantum sanguinis elici debeat, indicabunt gradus febris, violentia signorum, tempestas anni, aetas habitusque corporeus aegrotantis; sed ante omnia alia, pulsuum arteriarum conditio. Sanguinis missio maxime necessaria erit in iis, qui sanguine redundant, juventa florente, et vere et hyeme labentibus.

Ad eam, in infantibus, caute decurratur; et in debilibus, relaxatis et irritabilibus, qui ictus arteriarum debiles et exiles plerumque habent. Cullenus notavit, eam repetere raro esse necesse, quoniam jactura virium eam excipere consuevit. In corporibus infantilibus et junioribus, cum febris eruptionis non modica est, et signa

* Hoffm. Op.

gravia esse pergunt, ut haec evacuatio, per hirudines talis applicatas, fiat, non pauci monent.

III. *LAXANTIA.*—Quo usum purgantium, hoc in morbo, illustremus, ad ea, quae clarus Winteringham observaverit, decurremus. Ille qui notavit, hosce aegrotantes, in quibus alvus modicè et sponte fusa semet ostenderet, signa plerumque leniora habere; et in locum hujus, cum deficeret, prosperè substitui medicamenta antiphlogistica laxantia. Hoc planè demonstrabit, diarrhoeam, cum incidit, non usu adstringentium esse compescendam. Quanquam necessarium erit, ne immodica fiat, cavere.

Purgatio alvi eisdem exemplis, quibus missio sanguinis, accommodatur, et multo tutior est. Cum alvus adstricta est, clysteribus laxantibus, pro re nata, emollienda. Quae laxantia refrigerant, ea sunt utilissima.

IV. *FOMENTA.*—Cum morbus, pro numero

mero puſtularum faciei, periculo ſtipetur, artus inferiores foveri et in aqua calida lavari, materiam morbificam a capite derivando, prodeſſe poteſt. Fomenta et lavatio calida, eruptionis promovendae, ubi applicatione frigoris intenſiore fuit retardata, nonnunquam adhibita fuerunt; et forſitan extrema foveri tumorem eorundem adjuvare poteſt.

V. *GARGARISMATA.*—Haec emollientia, et nonnunquam ſtimulantia, commodum afferre poſſunt, cum tumor faucium eſt gravior, et poteſtate devorandi difficili ſtipatur. Et in uſum revocari poſſunt, excretionem ſalivae promovendi conſilio, cum adeo viſcida evadit, ut cum difficultate expectoretur.

VI. *OPIATA.*—De utilitate anodyna et opiata in variola adhibendi, alia alii medici ſentiunt. Quidam, ut Simpſon, Tiſſot, &c. ea pro remediis, in multis hujuſce morbi exemplis, admodum

modum periculosis habent. Posterior iis enixè adversatur. Notat, opium esse unum e sudorificis maxime calefacientibus, et quidem praecipuum; et haec medicamenta etiam ab iis, qui opio summo ardore patrocinantur, prohibere: Humores hoc in morbo perquam acres et corrosivos esse, et igitur opium, remedium in primis acre et corrosivum, prodesse non posse: Opium, in morbis inflammationem habentibus, gangraenam movere periclitari, quae semper in casibus variolae gravioribus, inflammatione magna stipatis, reformidari: Opium, salivae fluxum, qui, judicio omnium, hoc in morbo admodum salutaris esse creditur, sistere fuisse repertum, et igitur noxium esse oportere.

Quomodo vero haec sententiae Sydenhami accomodare possumus, qui, in variola, tantam fiduciam in usu opii collocat? Planè affirmat, se multos aegrotantes, usu opii, e faucibus orci eripi novisse: Id fluxum salivae adjuvare, tumorem manuum et pedum promovere, et eos,

ad

ad ſpatium idoneum abſolutum, producere. Immo monet, ut, circa quintum diem, adhibeatur, et in ejuſdem uſu, donec periculum praeterierit, perſtetur. Qua ratione lites tantas, inter tantos viros, componemus? Num Sydenhamo, ob obſervationem ſolitam fidelem et accuratam, aſſentiemur? Haudquaquam. Lis vero teſtimonio experientiae ſubjiciatur, quod me, ſi ſententiam recuſem, ſatis excuſatum habebit.

Quidam tamen caſus ſunt, ubi opium utile, et etiam neceſſarium eſt. Ob dolorem tam magno numero puſtularum, ad ſuppurationem tendentium, factum, aegrotus vigilia ſaepe infeſtatur; quo in exemplo, multum, doſes opii idoneas dando, prodeſſe poſſumus. Opiata in caſibus profuſioris diarrhoeae adhibere liceat. Inſuper, ad eadem, ſomni quaerendi, et inquietudinis praecavendae, confugere erit neceſſarium, et etiam in pueris; hi vero iis cautius, quam adulti, utantur.

Haud dubie conveniet tales doſes, quales

aegrotanti

aegrotanti quietem concilient, praefcribere. Cum vero eadem opii dofis effectus diverfos in diverfos homines edere poffit, femper tutius erit a dofibus modicis incipere, et eas, donec eam, quae fomnum aegroto comparat, attigimus, augere. Et praeterea, quanquam dofes ampliores fomnum magis praefentaneum inducunt, minus tamen reficit, quam qui, dofibus minoribus adhibitis, obrepit. Quantum ad opiata fpectat, Sydenhamus monitum perquam utile et practicum tradit; nempe ut fpatium temporis idoneum, inter fingulas dofes, femper interponere debeamus, ut pernofcere valeamus, utrùm dofis ultima id, quod quaerimus, praeftiterit, antequam nova ingeratur. Quinetiam cura habenda eft, ut duritiei alvinae, quam opiata gignere folent, per purgantia, aut enemata laxantia, ritè occurratur.

VII. *EPISPASTICA.*—Haec, faucibus externis, in exemplis deglutitionis difficilioris, applicata,

applicata, et tumorem eorundem, ſolito majorem, diminuere, et excretionem quoque muci viſcidi et ſalivae promovere, utilia eſſe reperientur.

Hillarius ſuadet, ut ad epiſpaſtica decurratur, cum aegrotus habitu laxus et dibilis eſt; cum pulſus arteriarum depreſſiores ſunt; cum expulſio puſtularum, ob febris defectum, adjuvanda eſt; cum tumores faciei manuum et pedum promovendi; et cum fluxus ſalivae, cohibitus, reſtituendus. Tiſſot, uti refert, levationem aegroto comparavit, ubi, relicta cute, ad pulmonem acre devolvit virus, cum frequentiſſimo, celerrimo debilique pulſu, cutis ſiccitate, orthopnoea, anxietate, delirio, partibus corporis extremis larga et acerrima veſicatoria applicando.

VIII. *CORTEX PERUVIANUS.*— Propter effectus corticis in exemplis putridis ſalutares notiſſimos, et poteſtatem tonicam, procul dubie expediet eum adhibere, in iis caſibus, ubi jactura virium,

um, vel petechiae, urina ſanguinolenta, vel aliae haemorrhagiae, proclivitatem humorum monſtrantes, ſemet oſtendunt. De effectu corticis in variola, Monroius cl. ſenior, cui tantum medicina debet, obſervata ſequentia profert:

'The effect of the bark in procuring a kind-'ly and mild ſuppuration, led me to imagine 'it might be ſerviceable in the ſmall-pox of a 'bad kind, where either a right ſuppuration did 'not come into the puſtules, or petechiae ſhew-'ed a diſpoſition to gangraene. And I had the 'pleaſure to ſee the effects I expected from it 'in ſeveral variolous patients to whom I gave 'the bark. The empty veſicles filled with mat-'ter, watery ſanies changed into a thick white 'pus, petechiae became gradually more pale 'coloured, and at laſt diſappeared, and the 'blackening of the pox began ſooner than was 'expected.' Poſtea addit: 'I have only giv-'en the bark in the ſmall pox after the erup-'tion, and continued it till the blackening was

'completed;

'completed; but am persuaded, from the ef-
'fects I saw of it in mitigating the secondary
'fever, that, if it is given during the eruption,
'it might be of use in determining the small-
'pox to be of a favourable kind.' Pulverem a decem ad quadraginta grana, singulis quatuor vel quinque horis, e quovis vehiculo idoneo, adultis praescribere consuevit; puero quantitatem diversam, nempe a ℥ss. ad ℥ii, portioni lactis calidi exiguae admistam, sub forma enematis, bis, uno quoque die, dedit, intestinis crassioribus per clysma laxans prius exonoratis *.

Non parum probabile esse videtur, discrimen speciem variolae distinctam inter et confluentem, a diathesi systematis inflammatoria pendere. Igitur, per febrem eruptionis, corticem Peruvianum cautè daremus, quoniam statum corporis inflammationem habentem augendo, formam morbi a miti ad confluentem mutare periclitatur. Plerique auctores monent, ne cortex in usum

H revocetur,

* Ed. Med. Essays, Vol. 5.

revocetur, cum ſpiritus eſt difficilis, alvus admodum adſtricta, et abdomen perquam durum tumidumque. Hiſce ſignis vero ſublatis, ad eum, ſi ſit neceſſarium, poteſt decurri.

IX. *VINUM.*—Hoc, in iiſdem caſibus, in quibus cortex, eſt adhibendum, ut proclivitati ad putredinem et debilitati ſuccurratur. Vinum quoque eſt cardiacum gratiſſimum; et hoc commodum poſſidet, ut ex aqua adeo dilui poſſit, ut ulla quantitate ſumi queat; quae viribus aegroti, et conſuetudinibus vini utendi prioribus, accomodari debet.

X. *ACIDA.*—Haec, rite diluta, ſignum ſiccitatis in ore et faucibus moleſtiſſimum relevare reperientur. Inſuper acida, ob vires antiſepticas, ubi petechiae adſunt, vel aliae notae putredinem non longè abeſſe denunciant, juvant. Sydenhamus ſpiritum vitrioli, a die quinto vel ſexto, capiendum juſſit, et dum puſtulae maturarentur,

rentur, in uſu ejus, cum ſucceſſu proſperrimo, perſtetit, praeſertim in ea ſpecie, quam *variolam confluentem nigram* denominat. Expertus eſt, puſtulas, ab uſu ejus, colorem magis flavum ſibi aſſumere, et ampliores evadere; et gravitatem omnium ſignorum inde magnopere diminui. Vel vitriolicum vel vegetabilia in uſum revocari poſſunt.

Non alienum erit nunc quaedam ſigna ſingularia conſiderare, quorum curationis non antea aptè meminiſſe potuimus.

a. *Convulſiones*. Hae pueros aliquando invadunt, et admodum formiduloſae adſtantibus videntur. Cum finem diei tertii verſus accedunt, et protinus ante eruptionem, raro multum periculi habent. Si vero maturiùs aegrotum vexare incipiant, et violentae et frequentes ſint, res longe aliter ſeſe habet, et remedium praeſentaneum requirunt. Quod efficaciſſimum eſſe fuit

repertum,

repertum, id eſt opium tam larga portione datum, quam aegrotus facilè tolerare valet; quod ut ſigna indicant reiterandum. Opium, ſub forma tincturae Thebaicae, ut clyſma, in alvum, durante paroxyſmo, immiti poteſt, quoniam aegrotus, eo tempore, devorare nequit. In aliis caſibus balneum tepidum; in aliis frigidum profecit, namque clarus Walker notat, balneum frigidum plurimum boni praeſtare, cum paroxyſmi ſunt protractiores et graviores. Multum profuiſſe obſervavit Van Swieten, ſi caveatur, ne infantes dorſo incumbant ſupini, ſed in alterutrum latus converſi jaceant.

b. *Urina ſuppreſſa.* Quo huic ſigno opitulari poſſumus, Sydenhamus, tam frequenter in hacce diſſertatiuncula citatus, nec immerito, monet, ut aegrotus e lecto eximatur, et huc illuc, in cubiculo, in aliquantum temporis, ambulare cogatur. Hanc modicam exercitationem excretionem urinae copioſam, brevi ſpatio, excipere

compertus

compertus eſt. Praeterea, de caſu aegroti meminit, qui, ſemet in genua collocando, urinam reddere dedicit. Cum hoc ſignum aliquando a faecibus induratis, cervicem veſicae nimia preſſura afficientibus, proficiſci poteſt, ei optime ſuccurret enema adhibitum.

c. *Febris ſecundaria.* Haec potiſſimum variola confluente circumſcribitur; interdum tamen in diſtincta non deeſt, cum puſtulae ſunt perquam numeroſae; ſed evaneſcit, cum puſtulae plenam maturitatem attigerunt, vel forſitan gradu leviſſima manet, donec puſtulae faciei decurſum ſuum abſolverunt. Purgatio ſanguiniſque emiſſio ſunt neceſſariae, cum inflammationem habet; hoc vero rarum eſt, etenim vir clariſſimus Dr Gregory memoriae prodit *, ni fallor, ſe caſum ejus nunquam offendiſſe. Plerumque ad putredinem vergit, in quo caſu, ſanguinem extrahere haud dubie alienum foret. Remedium, in quo fiducia

* In Praelect. ſuis.

fiducia potiſſimum collocanda, eſt cortex Peruvianus, tam largiter datus, quam ventriculus ferri poteſt. Acida quoque adhibeantur; et vis vitae vino ſuſtineatur.

In variola, cibus ſit concoctu facilis, et vegetabilibus potiſſimum conſtet, et putredini adverſetur. Ægrotus potum diluentem liberaliter adhibeat, cui intermiſceantur acida vegetabilia. Quodlibet genus cereviſia tenuis adaequat, nec deſint fructus recentes horaei. Summa ratio munditiarum habeatur; et, ante omnia alia, ad cubiculum aegrotantis aër purus, frigidus, et ab inquinamentis, quantum fieri poteſt, repurgatus, adſpiret.

FINIS.